

ibi: « Lege duodecim tabularum permissum est parentibus liberis suis, sive feminini, sive masculini sexus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare; » et concordat § *Permissum est 3*, institut. *De tutelis*, cum similibus.

(33. Pater, etiamsi fuerit minor xxv annis, potest filiis suis dare testamento tutorem, si perpenso consilio id præstet; et ratio est, quia tales filii ita sunt sub ejus patria potestate, ac si ipse esset major xxv annis, unde sicuti pater major xxv annis potest tutorem dare filiis sub sua patria potestate existentibus per jura mox adducta, ita etiam pater minor xxv annis, dummodo perpenso consilio id præstet; Angelus Aretinus in § *Furiosus*, n. 2, institut. *Qui testamento tutores dari possunt*; Montanus, *De tutoribus et curatoribus*, cap. 8, n. 5; Romanus, singul. 70, incip. *Adultus*; Joan. Gutierrez, *De tutor. et curator.*, part. 1, cap. 3, n. 11; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 5, n. 2, et alii.

(34. Si autem pater fuerit adhuc ipse sub patria potestate, quamvis fuerit major xxv annis, non potest filiis suis tutorem dare. Existente enim patre sub patria potestate, sunt sub eadem etiam ipsius filii, et sic nepotes ex filio respectu avi, per text. in l. *Nam civium*, ff. *Qui sunt sui vel alieni juris*, leg. *Si maritus*, cod. *De patria potestate*, cum similibus. Pater autem potest solum tutorem dare filiis existentibus sub sua potestate ex cit. l. *Lege duodecim 1*, ff. *De testamentaria tutela*, ibi: « Si modo in potestate sunt, » cum similibus, adeoque pater adhuc existens sub patria potestate, cum sui filii non sint sub ejus potestate, sed sub potestate avi, non potest ejus testamento tutorem constituere, Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 3, n. 47; Carolus Philippus Corneus, consil. 129, n. 9 et 10, vol. 1; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 5, n. 6, et alii.

(35. Potest pater, superstiti matre, filiis suis impuberibus testamento tutorem dare, ipsa matre exclusa. Habetur clare ex authent. *Matri et avia*, cod. *Quando mulier tutelæ officio fungi possit*, ibi: « Matri et avia secundum ordinem tutelam etiam ante agnatos subire permittimus... solis testamentariis tutoribus eas præcedentibus, legitimis et dativis postpositis: defuncti namque voluntatem præponi volumus; » Rot., part. iv, recent., tom. II, decis. 435, n. 10.

(36. Mater, qua mater est, non potest filiis testamento tutorem constituere, leg. *Mater 4*, cod. *De testamentaria tutela*, leg. *Pater 4*, ff. eod., l. *Mulier 2*, ff. *De confirmando tutore*; Montanus, *De tutor. et curator.*, cap. 8, n. 38 et cap. 24, n. 18; Marianus Socinus, consil. 59, n. 29, lib. III; Angelus Aretinus, in tract. *De testament.*, verb. *Tutores autem*; Sanfelicius, decis. 206, n. 3; Decius, in leg. *Quo tutela*, n. 2, ff. *De regul. jur.*, et alii: et ratio est quia jura permittunt parentibus testamento constituere tu-

tores filiis, et nepotibus, si illos habeant in potestate, textu expresso in l. *Lege duodecim 1*, ff. *De testamentaria tutela*, l. *Ut ne 1*, § 1, ff. *De confirmando tutore*, § *Permissum 3*, institut. *De tutelis*. Mater autem, qua talis est, non habet liberos in potestate, § *Cæteri 3*, institut. *De hæredum qualitate et differentia*, et § *Femina 10*, institut. *De adoptionib.*, adeoque mater, qua mater est, non potest filiis testamento tutorem constituere.

(37. Dicitur autem notanter mater, qua mater est, quia si mater in testamento filium hæredem instituat, et simul tutorem ei constituat, erit recte constitutus tutor et a iudice cum inquisitione confirmandus, l. *Mater 4*, cod. *De testamentaria tutela*, ibi: « Mater testamento filiis tutores dare non potest, nisi eos hæredes instituerit, » leg. *Pater 4*, ff. *De testamentaria tutela*, ibi: « Pater hærede instituto filio vel exnædato, tutorem dare potest, mater autem non nisi instituto quasi in rem potius quam in personam tutorem dare videatur, sed et inquiri in eum, qui matris testamento datus est tutor, oportebit. »

(38. Item quilibet extraneus, si impubere hæredem instituat, tutorem ei constituere potest, a iudice cum inquisitione confirmandum. Leg. *Si patronus 4*, et l. *Tutores 5*, ff. *De confirmando tutore*.

(39. Item patronus, si libertum hæredem instituat, potest ei tutorem constituere, a iudice probabiliter cum inquisitione confirmandum, leg. *Si patronus 4*, ff. *De confirmando tutore*; quinimo plurimi doctores citati et secuti a doctissimo Rosignolo, l. c., contract. 16, disq. 2, § 6, n. 5, docent posse patronum tutorem constituere suo liberto, sive ipsum hæredem instituerit, sive non instituerit.

(40. Pater potest in testamento dare tutorem filiis suis quemcumque sibi benevisum; unde licet femina sit incapax a jure per textum in l. *Femina 18*, ff. *De tutelam 1*, cod. *Quando mulier tutelæ officio*, tamen ex voluntate testatoris potest tutelam exercere per text. in l. *Liberto 31*, § 6, ff. *De negotiis gestis*, ibi: « Quanquam mater filii negotia secundum patris voluntatem pietatis fiducia geret; » et ibi doctores, quos allegat et sequitur Rota, part. II, recent., tom. II, dec. 435, n. 6, ubi n. 17 et 18, subjungit quod licet femina non possit esse tutrix ob imminentiam litem, hoc tamen non procedit in tutrice data a testatore, cum ejus fides videatur approbata a testatore, verisimiliter non ignorante litem occasionem.

(41. Si pater in suo testamento constituit tutorem filiis et filiabus, tutela extenditur etiam ad posthumos et posthumas, textu expresso in § *Si quis filiabus 5*, inst. *Qui testamento tutores dari possunt*, l. *Si quis filiabus 5*, ff. *De testamentaria tutela*, cum similibus.

(42. Si pater in testamento constituit tutorem pro filiis, tutela extenditur etiam ad filias; textu expresso in l. *Si quis ita 16*, ff. *De testamentaria tutela*, cum similibus.

(43. Si pater in testamento constituit tutorem filio et plures habuerit, tutela extenditur ad omnes ejusdem filios, textu expresso in c. 1. *Si quis ita 16*, § 1, cum similibus.

(44. Si pater filiis suis testamento tutores dederit, censetur et nepotibus consuluisse, modo isti in potestate patris non sint relapsuri; secus si filiis, retento proprio nomine filiorum, textu expresso in § *Filiabus 5*, inst. *Qui testamento tutores dari possunt*, ibi: « Quod si nepotes sint; an appellatione filiorum, et ipsis tutores dati sint? dicendum est, ut et ipsis quoque dati videantur, si modo liberos, dixerit, cæterum si filios, non continebuntur, aliter enim filii, aliter nepotes appellantur; » et sic expresse concordat etiam l. *Quid si 6*, ff. *De testamentaria tutela*.

(45. Pater filiis sub patria potestate non existentibus, sed emancipatis, non potest constituere tutorem simpliciter, cum ad id requiratur patria potestas ex § *Permissum 3*, inst. *De tutelis*, l. *Lege duodecim 1*, ff. *De testamentaria tutela*, l. *Ut ne 1*, ff. *De confirmando tutore*, sed solum potest ipsis tutorem constituere a iudice confirmandum, et quidem sine inquisitione, textu expresso in § *Sed et si 5*, ff. *De tutelis*, ibi: « Sed et si emancipato filio tutor a patre datus fuerit testamento, confirmandus est ex sententia præsidis omnimodo, id est sine inquisitione. »

(46. Pater nequit filio suo naturali et illegitimo dare tutorem testamento, nisi vel illum hæredem instituat, vel aliquid eidem relinquat, textu expresso in l. *Naturali filio 7*, ff. *De confirmando tutore*, ibi: « Naturali filio, cui nihil relictum est, tutor frustra datur a patre, nec sine inquisitione confirmatur. » Et ratio inter alias est, quia ad constituendum tutorem testamento filiis requiritur patria potestas, ex citatis juribus *supra*, n. 43. Filius autem naturalis et illegitimus non est in potestate patris, textu expresso in § *Si adversus 12*, et § *Aliquando 13*, inst. *De nuptiis*.

(47. Regulariter in testamento dari nequit tutor quoad exercitium tutelæ, qui non attigerit 25 annum suæ ætatis, textu expresso in § *Item major 13*, inst. *De excusat. tutorum*, ibi: « Minores autem xxv annis olim quidem excusabantur, nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam, vel curam aspirare, adeo ut nec excusatione opus sit, » et § *Furiosus 2*, inst. *Qui testamento tutores*, ibi: « Furiosus, vel minor xxv annis tutor testamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut major xxv annis tutor fuerit factus. »

(48. Filiusfamilias, non obstante quod sit sub patria potestate, si habeat cæteras conditiones ad hoc requisitas, non interdicitur a munere tutelæ, textu expresso in princ. institut. *Qui testamento tutores dari possunt*, ibi: « Dari autem tutor potest testamento, non solum paterfamilias, sed etiam filiusfamilias. » Et concordat l. *Filiusfamilias 9*, ff. *De his qui sui vel alieni juris sunt*: « Filiusfamilias in publicis causis

loco patrisfamilias habetur, veluti si magistratum gerat, vel tutor detur. »

(49. Servus durante servili sua conditione, nequit testamento tutor constitui, textu expresso in l. *In servili 7*, cod. *Qui dari tutores, vel curatores possunt*. Et concordat l. *Qui tutelam 38*, § 1, ff. *De testamentaria tutela*, et § *Sed et servus 1*, inst. *Qui testamento tutores dari possunt*. (50. Si autem servus constituatur tutor a proprio domino cum scientia servitutis, intelligitur actu prævio liberari a servitute, et sic recte tutor constituitur, textu expresso in cit., § *Sed et servus 1*, inst. *Qui testamento tutores*, etc. (51. Si vero sit servus alienus, solum cum liber erit habebitur verus tutor, textu expresso in cit. § *Sed et servus*, et in cit. l. *Qui tutelam 38*, § 1, ff. *De testamentaria tutela*.

(52. Episcopi et monachi nequeunt esse tutores testamentarii, textu expresso in authent. *De sanctissimis episcopis*, seu novella 123, c. 5, ibi: « Deo autem amabiles episcopos et monachos ex nulla lege tutores aut curatores cujuscunque personæ fieri permittimus. » Rota, part. IV, rec., tom. II, dec. 116, num. 16, et p. 16, decis. 252, n. 19.

(53. Imo neque sacerdotes, alique clerici in sacris constituti possunt esse tutores testamentarii. Bartolus authent. cit., cap. 5, n. 1; Abbas, in cap. *Non eo minus*, n. 15, *De immun. eccles.*; Bertrandus, cons. 716, part. II, lib. II; Alciatus, præsumpt. 18, reg. 3; Gutierrez, *De tutor.*, part. I, cap. 1, num. 39; Carolus de Grassis, *De effectibus cleric.*, cap. 15, a n. 1 usque ad 16; Rosignol., *loc. cit.*, prænot. 6, n. 14, cum plurimis aliis ibi allegatis, et colligitur etiam ex cit. authent., cap. 5, ubi licet sacerdotibus, diaconis et subdiaconis videatur concedi facultas ad tutelam, hæc tamen facultas restringitur ad tutelam legitimam, ut ipsiusmet verba indicant, et interpretes passim intelligunt.

(54. Sacerdotes igitur, alique clerici sæculares, licet non possint esse tutores testamentarii, possunt tamen esse tutores legitimi, cit. authent. seu novella 123, c. 5, ibi: « Presbyteros autem, et diaconos et subdiaconos jure et lege cognationis tutelam, aut curam suscipere hæreditatis permittimus proprio et solo gradu cognationis ad tutelam et curam vocatis, hujusmodi suscipere administrationem permittimus. » Et concordat cap. *Pervenit ultim.*, dist., 86, et tenent passim doctores; et ratio cur clericis sæcularibus permittitur tutela legitima, non autem testamentaria, est stricta lex agnationis, cognationis et sanguinis, quæ adeo indita est humanis cordibus, ut vix videatur posse evelli, et ideo ex benigna jurium indulgentia permittitur eis tutela legitima et non testamentaria, in qua non viget sic strictum vinculum sanguinis.

(55. Episcopi autem et monachi neque possunt esse tutores legitimi, ut patet ex cit. authent. seu novella 123, cap. 5, per verba adducta supra n. 52. Et ratio est quia episcopalis cura adeo gravis et urgens est, et stricta erga Deum, ut excludat omnimodo

dam curam temporalem, et cum sit in ordine ad Deum, et ad bona spiritualia, prevalere debet cuicumque temporali. Et monachi ex vi proprii instituti intelliguntur sæculo mortui, et soli Deo vivere, unde nullatenus decet eos externis publicis curis implicari, can. *Monachis* 35, caus. 16, q. 1.

(56. Qui habet bona indivisa cum pupillis, potest eorumdem esse tutor testamentarius, si testator noverit talem indivisionem: testator enim ipsum eligens cum plena cognitione talis indivisionis, videtur absolute fidere ejus personæ, ipsiusque fidem totaliter approbare per text. in leg. *Tres tutores* 55, § final. ff. *De administratione tutor.* Unde testamentarii tutores satisfacere non coguntur, institut. *De satisfactione tutorum* in principio, ibi: « Nam tutores testamento dati satisfacere non coguntur, quia fides eorum, et diligentia ab ipso testatore approbata est. »

(57. Item creditor et debitor potest testamento tutor constitui, si testator plenam cognitionem habuerit de tali credito et debito, arg. dict. et allegatis juribus, num. antecedenti.

(58. Civis alterius civitatis potest constitui tutor testamentarius pupillorum alibi degentium, textu expresso in l. *Quero* 32, ff. *De testamentaria tutela*, ibi: « Quæro an, non ejusdem civitatis cives testamento quis tutores dare possit: Paulus respondit posse. »

\* Licet ex sen. cons. Liboniano tutor esse non possit, qui se testamento tutorem pupillo scripsit, nihilominus si testatoris voluntas non ambigua sit, et tutor mediante iudicis decreto idoneus reputetur, admittendus est. Nec ulla ejus excusatio valet, quia consensisse videtur voluntati testatoris l. 29, ff. *De testam. tut.*, l. 18, § 1, ad leg. Corn. *De fals. Paul.*, lib. iii *Sentent.* \*

(59. Mutus nequit esse tutor, textu expresso in leg. *Tutela* 1, § 22, ff. *De tutelis*, ibi: « Mutus tutor dari non potest, quoniam auctoritatem præbere non potest, » leg. *Agnato* 10, ff. *De legitimis tutoribus*, ibi: « Surdus et mutus nec legitimi tutores esse possunt, cum nec testamento, nec alio modo utiliter dari possint. »

(60. Item nec surdus potest esse tutor, textu expresso in citat. leg. *Tutela* 1, § 3, *De tutelis*, ibi: « Surdum non posse dari tutorem; » plerique, et Pomponius lib. lxxix ad edictum probant, quia non tantum loqui, sed audire tutor debet; et cit. l. *Agnato*, per verba n. antecedenti adducta.

(61. Furiosus, durante furore, et amens durante amentia, nequit esse tutor, textu expresso in § *Furiosus* 2, institut. *Qui testamento tutores dari possunt*, et leg. *Furiosus* 11, ff. *De tutelis*.

(62. Item prodigus tutor esse non potest, leg. *His qui* 12, § 2, ff. *De tutoribus et curatoribus datis ab his*, et arg. l. *Nemo* 3, cod. *De legitima tutela*.

(63. Femina, quamvis de jure nequeant ordinarie esse tutrices, possunt tamen ex voluntate testatoris tutelam exercere per dicta et jura adducta supra, num. 40.

(64. Si maritus in testamento uxorem tu-

tricem filiorum constituerit etiam in casu secundarum nuptiarum, non est necesse quod eadem uxor renuntiet secundis nuptiis: quamvis enim mater transiens ad secundas nuptias, ipso jure privetur tutela filiorum prioris matrimonii, per text. in authent. *Sacramentum*, cod. *Quando mulier tutela officio*, l. *Si pater* 3, cod. eod., l. *Lex, quæ tutores*, § *Lex enim*, cod. *De administr. tutor.*, et authent. *Ut sine prohibitione*, vers. *Propterea igitur*, collat. 7, tamen dicta jura procedunt solummodo, vel quoad tutelam legitimam, vel quando aliter non est dispositum a testatore, qui potest quamcumque legem juri non repugnantem pupillis et rebus suis statuere, cum provisio hominis cessare faciat provisionem legis, l. final., cod. *De pact. convent.*, l. *Et habes*, § *Cum quis*, ff. *De precario*. Ubi patet de tutore, qui ex dispositione legis satisfacere tenetur rem pupilli salvam fore finita tutela, per text. in princip. inst. *De satisfactione tutorum*, et l. *Sciendum* 1, l. *In dubium* 3, cod. *De tutore, qui satis non dedit*, cum similibus; tamen ad hoc onus tenetur, quando a testatore fuit liberatus, ut communiter tradunt doctores per textus in cit. juribus, cum similibus.

(65. Secus autem est dicendum, si maritus simpliciter eam constituerit tutricem testamentariam, quia talis simplex dispositio sine ullo adjecto intelligitur facta secundum dispositionem juris; jus autem disponit quod mulier, ut valide suscipiat tutelam, teneatur renuntiare secundis nuptiis, ex senatusconsulto Vellejano, textu expresso in l. *Si pater* 3, cod. *Quando mulier tutela officio*, et quod si transeat ad secundas nuptias, ipso jure privetur tutela filiorum prioris matrimonii, ut ex cit. juribus in principio num. antecedentis. \* Si mater vero nullo testamentario tutore dato vel illo excusato aut rejecto, tutorem filio suo impuberi non petierit, et ad secundas convolverit nuptias, a successione filii privatur, l. 23, § 2, ff. *Ad sen. cons. Tertyll.*, l. 6, c. *ad sen. cons. Tertyll.* \*

(66. Tutela legitima competit proximiori pupilli, text. expresso in § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione*, l. *Legitime tutela* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus. (67. Et si plures fuerint in eodem gradu, omnes debent admitti ad ipsam tutelam, textu expresso in leg. *Si plures* 9, ff. *De legitimis tutoribus*.

(68. Mater in tutela filiorum impuberum non præfertur avo paterno. Colligitur aperte ex § *Permissum est* 3, institut. *De tutelis*, ex leg. *Lege duodecim* 1, leg. *Si hereditas* 10, § 2, ff. *De testamentaria tutela*, ubi habetur quod avus paternus, mortuo filio, et adhuc superstiti nuru, potest testamento dare nepotibus ex eodem filio et nuru tutorem, etiam ad exclusionem ejusdem nurus; adeoque, existente avo paterno simul cum nuru matre filiorum impuberum, avus ipse paternus erit præferendus; cum enim hic possit dare alium tutorem ad exclusionem ejusdem nurus a tali tutela, a fortiori

poterit ipsemet dictam tutelam exercere ipsa nuru exclusa.

(69. Præfertur tamen mater in tutela filiorum avo materno. Sic tacite videtur sentire Glossa in authent. *Matri et avia*, vers. *Item quid sit*, cod. *Quando mulier tutela officio*, ubi dicit quod si fuerit mater et avus, præponitur avus paternus; unde cum in suppositionem talis propositionis indefinitæ, quod si fuerit mater et avus, limitet prælationem solum in favorem avi paterni, videtur ipsam prælationem denegare avo materno. Et hoc suadet aperta ratio, quia in tantum conceditur prælatio avo paterno, et denegatur materno, quia majora substant onera illi quam isti. Ille enim per prius inconcursu cum matre tenetur nepotes alere, et neptes dotare; iste vero, scilicet maternus, nisi per posterius ad matrem; et insuper in illo salvatur ratio agnationis, respectu cujus major sollicitudo et cura præsumitur, in isto vero nequaquam, cum sit alterius agnationis. Unde jura videntur magis fidere ascendentibus per virilem sexum, quam ascendentibus per femineum. Sic expresse Rosignolus, *loc. cit.*, prænot. 10, n. 15, et alii.

(70. Item mater præfertur avia sive paternæ, sive maternæ; et ratio est clara, quia, cæteris paribus, ille præferendus est in munere tutelæ, qui proximior est in gradu ascendenti, et linea, arg. § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione*, leg. *Legitima tutela* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus, ubi statuitur quod tutela legitima competat proximiori pupilli: atqui mater comparative ad aviam, sive paternam, sive maternam proximior est in linea et gradu ascendenti: ergo est ipsa præferenda. Nec valet dicere, quod sicuti matri præfertur avus paternus, ita etiam debeat ipsi præferri avia materna. Non valet, inquam, quia in ordine ad tutelam diversa est omnino ratio de avia, ac de avo paterno in ordine ad matrem: perpensus enim consilium et salubrius judicium consideratur in avo paterno comparative ad matrem, ac consideretur in avia materna comparative ad eandem matrem in ordine ad administrationem pupillorum ac eorumdem substantiæ; tum quia femina non admittuntur ad tutelam, leg. *Femina* 18, ff. *De tutelis*, l. *Tutela* 1 cod. *Quando mulier tutela officio*, cum similibus. Et solum ex speciali privilegio est id concessum matri et avia, authent. *Ut liceat matri et avia*, et authent. *Matri et avia*; cod. *Quando mulier tutela officio*, etc. (71. Privilegium autem in ordine ad easdem intelligendum est cum ordine successivo ad normam aliorum tutorum legitimorum, inter quos præferuntur semper proximiores in gradu, § *Cum autem* 7, institut. *De capitis diminutione*, leg. *Legitima tutela* 1, ff. *De legitimis tutoribus*, cum similibus, adeoque cum mater comparative ad aviam, sive paternam, sive maternam, proximior sit in linea et gradu ascendenti, debet omnino præferri. Sic docent Montanus, *De tutoribus et curatoribus*, cap. 15, n. 6; Menochius, *De arbitror. judic.*,

lib. ii, cent. 3, casu 150, n. 3; Marcus Antonius Sabellius, in *Summadivers. tract.*, in verb. *Tutela*, n. 8, vers. *Quod tutela legitima*; Corneus, consil. 274, n. 1, l. 3; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 9 et 10, et alii.

(72. Avia materna, præsertim in Italia, præferenda est maternæ. Sicut enim avus paternus, non obstante identitate gradus et sexus, præfertur materno in munere tutelæ, ita etiam avia materna præferenda est maternæ, ut servetur ordo; quamvis enim in novella 118 Justiniani imperatoris, sit sublatum antiquum jus agnatorum, et sit novum jus conditum, quod nempe tam agnati quam cognati, qui proximi sunt, et idonei ad tutelam, ut hæredes, ita et tutores esse debeant: tamen per universam fere Italiam ex juribus municipalibus et consuetudinariis agnati etiam quoad successionem præferuntur cognatis, quibus stantibus videtur ibi adhuc vigere jus antiquum, quo scilicet prælatio detur agnatis. Sic testantur et tenent Minsyngerus, instit. *De legitim. agnator. succession.*; Montanus, *De tutoribus et curatoribus*, cap. 15, n. 46; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 13, 19 et 28, ac alii plures.

(73. Non existente avia materna, nec materna, admittenda est ad tutelam proavia, arg. authent. *Ut liceat matri et avia*, et authent. *Ut matri et avia*, cod. *Quando mulier tutela officio*, etc. Proavia enim proprie venit nomine avia, per text. in l. *Appellatione* 51, ff. *De verbor. significat.*, ibi: « Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia. » Sic Bartolus in l. *Si quis sub conditione*, n. 16, ff. *De testamentaria tutela*; Joannes Gultierrez, *De tutoribus*, part. 1, cap. 8, n. 17; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 14, et alii passim.

(74. Item in concursu avi materni cum avia materna præfertur avus; in omnibus enim aliis, cæteris paribus, masculi præferuntur feminis, ut patet in concursu patris et matris, in concursu avi paterni et avia maternæ, in concursu fratrum et sororum, quia in masculis consideratur perpensus consilium et salubrius judicium, quam in feminis, quoad administrationem pupillorum, eorumque substantiæ. Bartolus, in l. *Si quis sub conditione*, n. 6, ff. *De testamentaria tutela*; Montanus, *De tutoribus et curatoribus*, cap. 15, n. 47; Decius consil. 188, n. 1 et 2; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 16, et alii.

(75. Mater etiam tantum naturalis præfertur in omnibus casibus, in quibus præfertur mater legitima. Sic Glossa communiter recepta in authent. *Matri et avia*, verb. *Matri*, cod. *Quando mulier tutela officio*, per clarum text. in novella 94, cap. 1 in fine, et l. *Si pater* 3, cod. *Quando mulier tutela officio*.

(76. In concursu patris et matris naturalis præfertur mater; mater enim naturalis semper est certa, et jura agnationis semper cum filiis retinet, et sicut filii naturales, et etiam spurii succedunt matri, per text. in